

ANN. XIX - FASC. IV


MENSE APRILII MCMXXXII

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Aprili MCMXXXII

Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

QUID PLUTARCHUS DE BELLUIS SENSERIT

De Romanorum studio erga animantia recens in hoc commentario dictum est;¹ non ingratum fore confido si peculiariter ex Plutarchi scriptis quae fuerint huius auctoris de belluis opiniones ego pauca hodie attingam.

Atque in primis notandum volo, Plutarchum felicem inter philosophos appellandum esse, cuius sane fortuna perpaucis contigerit: qui enim vitam duxit per magisterii exercitium atque per itinera, senectutem habuit honestissimam, atque sacerdos Apollinis in Beotiae nativo eius oppido factus, annorum plenus obiit. Adstiterunt ei quoque fata, quae, Neronis aetate, quum quisque fama sapientiae atque doctrinae in discrimen veniret, eum obscurum servarunt et ab odiis, et invidia, et ab aemulis tutum. Felix quoque vultu apparuit, eius si simulacris credamus, quae venustrum illum et comptum adhuc nepotibus exhibent; felix postremo nomine, quod licet sero clarum obtinuit, mansit tamen tot per saecula ad nos usque, qui adhuc libris eius mentem et animam nutrimus.

¹ Cfr. fasc. mens. Februarii huius anni.

At si philosophus reviviseret, unum tantum, puto, doleret, neglecta omnino quae ipse praecpta de animantibus curandis scripto tradidit; quae si seorsim praelo vulgarentur, pluribus forte nota essent, quam hodie fiat, quum quisquis ea exspicare cogatur per mare magnum, ubi *moralia* documenta sua vir reliquit.

Tria vero capita animantibus dicata in libro sunt hisce titulis:

I. – Quae animantia potius homines mente aemulentur: terrestria an aquatica?

II. – Animantia rationis usum habere evincuntur;

III. – Usus comedendae carnis.

Quorum prima duo dialogorum in formam descriptis; tertium familiari dissertatione constat. Ex tribus vero facile colligitur auctoris fuisse consilium, ut cives suos erga bellugas humaniores redderet. Quae tamen quum moneret, impossibilia vel gravia nimis auctor non postulabat, ut nimirum circensibus ludis et agonibus belluarum valedicerent, vel venatione aut carnium cibis abstinerent. Quum enim comedimus carnes, id explendae tantum famis causa, non ingluvie faciamus; atque si belluae occidendae sunt, torquendae tamen non sint; cumque iis perquam humanissime agamus. Num enim peius vitae genus ducemus, si a mactandis bel-

luis una crudelitate abstinuerimus, aut si eas ad pugnandum invicem non incitavemus, ut inde voluptatem hauriamus? Addebat immo: « Qum oblectamenti causa facimus voluptatis nostrae comites animantia, iis nobiscum frui suo modo oportet ». Iure enim Plutarchus opinabatur saevitiam hominum erga animantia tunc esse, quum iis abutimur; haud vero quum iure eam adhibeamus.

Nec crudelitas ulla esse potest quum belluas occidimus, quae commoditati nostrae adversantur; neque est quum eas edocemus atque instruimus, ut nobis serviant quae ad hoc edidit natura. Addit autem philosophus, « viventes creature non perinde habenda esse quam calceamenta aut utensilia, quae quum usus nimis de triverit abiiciamus, sed ut praesertim cives nostros doceamus pios esse erga belluas oportere ». Perraro enim commoda senectus belluas contingit, quae plerumque, quum aetate invaluerint, ferro traduntur. Nonnunquam vero paratur seris eorum annis domicilium, ut Plinius senior atque Plutarchus de Pericle narrant. Qui quum Minervae aedes Athenis aedificaret, mulos permultos ad vehendas petras in montem adhibebat. Quorum quum nonnulli inter asperum laborem senescerent, propalam mittebantur solitque in arva publica; et ex iis aliquis senior quotidie ad petrarum fodinas fidelis ibat, totamque per diem ceteros, libero licet dorso, ad acropolim comitabatur currus trahentes et sarcinatos. Quae quum vidissent Athenienses non sine admiratione, decreverunt publico aere mulos alendos quoisque viverent, quorum plures, ut Plinius ait, ad octagesimum usque aetatis annum pervenere, ut plerisque emeritis stipendiis viventibus accideat solet.

Plutarchus autem absurdum putabat sensus et imagines belluas fuisse tradita, ratione vero hominem unum pollere; non enim sensus absque ratione esse crede-

bat, neque alias intelligi posse autum bat animantium memoriam et intelligentiam, nisi ratio iis succurisset; neque bellum nisi ratione praeditam dissita per timescere posse, aut utilia aut absentia desiderare. Aiebat immo et mores rationabiles bestiarum esse proprios, quae reapse filii suis admodum student; pietas enim filiorum quasi fundamentum est totius civitatis. Quod si minor rationis lux in alterutro affulgeat, non esse idem atque eius absentiam arguere: sunt enim inter homines quoque alii nullo, alii exiguo praediti consilio, ita tamen ut vel per paulum in omnibus mens colluceat. Rationis vero exercitium minus magisque perfectum tum ex cuiusque natura, tum ex doctrina, tum ex consuetudine pendet. Ceterum si hominum mens vincit mentes belluarum, belluae contra hominem vincunt oculorum acie aut aurium; sed nemo inde concludat hominem esse caecum aut surdum.

Stoici philosophi, quum humanitatem in belluas esse adhibendam voluerint, ratione tamen omni carere eas asseruerunt. Qui enim iis ad labores nostros terra marique sustinendos uteremur, aut quomodo absque eis opera exploreremus nostra, si animantia omnia nostrum similia putaremus, atque ea quasi homines haberemus non male unquam sed bene ut famulos? At contra ait Plutarchus Empedoclem atque Heraclitum naturam iniustitiae arguisse, quia belluas sineret ab hominibus captari et, ut imbecillas, eorum manibus illigari, iugo et compedibus vinci. Quare auctor suadet ut belluas quasi auxilio homines utantur; vita eorum vero, nisi necessitas postulet, omnino se abstineant.

Sed alterum ex Διαλογοῖς eius hoc dubio ex abrupto praeccluditur: « Quomodo rationem habeant viventes, qui Deum ignorent? ». Nec quaestioni principi responsum fuit unquam; forte immo responsio posteriori aetate abrasa est. An forte belluarum infantiumque similitudinem

auctor recolebat, qui, etsi rationis crepuscula possideant, nihil tamen de theologia sciunt?

Ut autem placuit Plutarcho in vita illustrium virorum enarranda magna gesta et exempla ad puerorum eruditio rem recolere, ita quum de belluis scriberet, Romanos voluit leniores reddere erga eas, studens eorum captare mentes fictis quoque narratiunculis, quae ab aliis fidus acceperat.

Multa quoque per urbis vias vulgi ex ore collegerat, multa ex libris veterum, multa ex Graecorum traditione. Elephantem narrat, quem quum puerorum multitudo insolens ludificaret et mucronibus pungeret, iratum longo naso ex offenditibus praeripuisse unum atque in aërem sustulisse. Quod quum horrentes ac trementes reliqui pueri adspicerent, satis belluae fuit eos monuisse metu, reposataque victima, latus iter resumpsit.

Boves pariter dicit, qui molem ita vertabant, ut certa vice quum quotidie in orbem circumivissent, nec unum quidem amplius circulum describere se patiebantur. Pariter de Bucephalo scribit, Alexandri illo equo, quem quum et ephippio imperatorio et aureis loris exornassent regis, nullus iam concendere miles aut servus poterat, nisi rex.

Glaciei vim primum belluas certamente dimetiri Plutarchus insuper animadvertisit, atque optime scire utrum tanta ea sit, quae ipsarum pondus sustineat, ita ut forte, quum percutias habeant aures, earum sensus talis fiat, ut aquae rumorem deprehendant sub glacie defluentis atque inde glaciei altitudinem cognoscant.

Sed inter belluas maximis laudibus extulit Plutarchus elephantem et formicam, quas ita diligebat, ut tumulum earum neque ioco neque cognitionis causa everteret. Hirundinis nidos, philumelae cantus valde admirabatur, atque non secus ab Aristotele philomelas grandiores docere minores.

natu credebat, atque animadvertebat eas, quum in captivitate adolevissent, haud ita optime canere, ut quae libere viverent.

Canes denique summis laudibus extolit, moremque approbat et consuetudinem sepeliendi eos non sine honore, ut fideles servos deceat; atque Xantippi canem commemorat, qui dominum Salaminam usque ad insulam natatu est prosequutus, quum ille navi sua cum comitatu iuvenum Atheniensium urbem relinqueret. Qui quidem fidelem bellum in monte, prope litus, sepelivit, in loco qui sua quoque aetate « canis sepulcrum » dicebatur.

H. P.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De verbis eleganter omittendis.

I. - Quaedam verba, ea potissimum quae modum indicant quo quis ad agendum movetur, latine plerumque omittuntur. In vernacula lingua alterum verbum comitantur, quo cum dictionem verbalem efficiunt, et quod latine exprimitur

1º) sive voce activa; v. g.:

Tantum amorem sibi *conciliarat* (= conciliare sciverat) (Cic., *Arch.*, 8, 17).

Cibum *cepisti* (= capere potuisti) (Cic., *Ep.*, XVI, 1, 1).

In Asiam *profugit* (= profugere debuit) (Cic., *De Am.*, 11, 37).

2º) Sive voce passiva; 3º v. g.:

Sine gemitu *aduruntur* (= sinunt se aduri) (Cic., *Tusc.*, V, 27, 77).

¹ Cfr. fasc. sup.

² a) Hae dicendi rationes linguae vernaculae vocantur verba « phraseologica ».

b) Participium vocis tum activae tum passivae futuri temporis dictionum verbalium saepe locum tenet; v. g.: Me igitur ipsum ames oportet, si veri amici futuri sumus (= debemus esse) (Cic., *De Fin.*, VI, 26, 85). — Erat facturus ludos quidam nobilis (PHAEDR.)

Non modo beneficio, sed etiam benevolentiae significatione *alligari* (= *sentire se alligari*) (Cic., *Planc.*, 33, 81).

Voces miserabiles exaudiebantur (= *faciebant ut exaudirentur*) (Tit. Liv., I, 29, 5).

Deceptus sum (= *video me deceptum*) — *Cogor* (= *video me cogi*).

II. — Verbum quod duabus pluribus propositionibus commune est plerumque non pluries iteratur, sed semel tantum exprimitur; ¹ v. g.:

— *Proficiscendum mihi erat* (= *debebam proficisci*) illo ipso die (Cic.).

c) Attamen utrumque verbum exprimitur, quum utriusvis inest; v. g.: *Verum, si loqui volumus* (Cic., *Tusc.*, I, 47, 112). — *Cur iniuriis te lacesci patris?*

d) Latine non opus est verbis aut dictioribus verbalibus, quibus vox praecipua eluceat. Ipso loco elucet; v. g.: *Falso queritur de natura sua genus humanum* (SALL.). — *Deus nobis haec otia fecit* (VERG.).

NB. — 1^o) Saepe pronomen, ut vidimus (cfr. *Alma Roma*, anni 1931, *De pronominibus eleganter addendis*, III), inducit ac definit vocem, membrum aut propositionem; v. g.: *Id est iniustissimum, iustitiae mercedem querere* (Cic.). — Nescire quid antea quam natus sis acciderit, *id est* semper esse puer (Cic.). — *Hoc certe in epistolis ait et gloriatur: non toto asse se pasci* (SEN.).

2^o) Quum verba aut dictiones verbales de quibus supra, latine usurpantur:

a) maior eis vis inest quam in vernacula lingua; v. g.: *Hoc illud est quod Theophrastus sustinere non potuit* (Cic.). — *Tu es enim is qui me tuis sententiis saepissime ornasti* (Cic., *Ep.*, V, 4, 11). — *Praesertim cum is unus esset qui posset indicare* (Cic., *Deiot.*, 7, 21).

b) Aut etiam alias sensus; v. g.: *M. erat Valerius tribunus militum, qui in medium processit* (= M. Valerius unus ex tribunis militum erat. In medium processit) (Tit. Liv., VII, 26, 2).

1 A fortiori semel exprimitur verbum in una ea- demque propositione; v. g.: *Pax et concordia victis utilia (sunt), victoribus tantum pulchra sunt* (TAC.). — (Cf. *Alma Roma*, an. 1931, p. 129, III).

b) Verbum tamen repetitur quum repetitionem exigit elocutio expressa; v. g.: *Ea rogatio quam ipse fert, et fert ex senatus consulto* (Cic., *Ad Attic.*, I, 13, 3). — *Emit homo cupidus et locuples (hortos) tanti*

Aequa Venus Teucris (fuit), Pallas ini-qua *fuit* (Ovid.).

Audistis quae solitudo in agris esset, quae vastitas (esset) (Cic.).

Beate vivere alii in alio (ponunt), vos in voluptate ponitis (Cic., *De Fin.*, II, 27, 86).

Fortuna plus homini (valet) quam consilium valet (Pub. Syr.).

Nec tractabo ut consulem: ne ille qui- dem me ut consularem (tractavit) (Cic., *Phil.*, II).

Quae illi litteris (didicerunt), ea ego mi- litando didici (Sall.).

III. — Omittuntur verba quorum notio alteri verbo iam inest. Sic:

1^o) verbis quae « desiderativa » dicun- tur, iam inest notio cupiendi; v. g.:

Ebrio Cleomene, esurientibus (= edere cupientibus) ceteris (Cic., *Verr.*, II, 5, 34).

Coenaturio (= coenare cupio). — *Nup- turire* (Mart.).

Dolor populi romani pariat quod iamdi parturit *Scaturio* (Cic., *Phil.*, II).

2^o) Verbis « inchoativis », notio inchoandi, ¹ incipiendi; v. g.:

In mediis vitae laboribus obdormiscere

quanti Pythius voluit, et emit instructos (Cic., *De Off.*, VI, 14, 59).

NB. — Proinde 1^o) libenter repetunt verbum, quum negatio affirmationi opponitur, aut vice-versa; v. g.: Ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest (Cic., *De Am.*, 5, 19). — Dictabat palam consulatum eripi Miloni non posse, vitam posse (Cic., *Pro Mil.*, 9, 26). — Qui sepulcrum publice decernendum Sulpicio censuit, statuam non censuit? (Cic., *Phil.*, IX, 6, 14). — Cui rationes defuerunt, ubertas orationis non defuit (Cic., *Tusc.*, I, 48, 116). — Damnati lingua vocem habet, vim non habet (P. S.). — Quid ergo? Hoc pueri possunt, viri non poterunt? et mos valet, ratio non valebit? (Cic., *Tusc.*, II, 14, 34).

2^o) Quum interrogatio est duplex, Cicero post « necne » verbum repetere solet, quoties posterius interrogationis membrum eluceat oportet; v. g.: Quae- ritur sintne di, necne sint (Cic., *De Natur deor.*, I, 22, 61). — Hoc doce: doleam necne doleam, nihil interesse (Cic., *Tusc.*, II, 12, 29).

1 a) Attamen carent Latini verbis quibus initium tantum motus significant. Sic, v. g. « calesco » non

¹ a) Casus verbi specifici etiam saepe est pronomen vel adiectivum numerum denotans; v. g.: *Eadem quotidie peccamus* (= Eadem peccata quotidie pec- cando facimus). — De hoc ipso multa disserunt (= multa disserendo dixit) (Cic.). Hortatur milites pauca (= pauca militibus hortando dicit).

b) Ut videre est, verbum latinum non raro duas notiones continet, quarum una ad effectum, altera ad modum vel finem actionis pertinet; v. g.: *Pauca prius de L. Murenae fortuna conquerar* (= conquerendo exponam) (Cic., *Pro Mur.*, 27, 55). — Haec iocatus sum (= ad iocandum dixi) (Cic., IX, 14, 4). — Quum haec intonuissest (= intonando dixisset) (Tit. Liv., III, 16, 4).

c) Cum verbo latini libenter usurpant nomen

(Cic., *Tusc.*, I, 49). — Nihil inveterascere debet eorum in quibus vita beata consistit (Cic., *Tusc.*, V, 14).

IV. — Verba sensus magis specialis, quibus saepe eadem est radix aut significatio quam ipsorum casui seu regimini, verbis genericis, ut: *facere, dicere, po- nere*, etc., substituta videntur. At rectius forsitan verba generica tunc subauditā censenda sunt; ¹ v. g.:

Deorum vitam homines viverent (= vi- vendo ducerent) (Cic.).

solummodo significat « *incipio calere* »; sed significat etiam coepisse me quidem iam calere, neque desistere a calefactione. Alvarus iure meritoque: « Verba inchoativa, ait, sunt quae rem inchoatam imperfectaque significant, licet ad perfectionem finemque ten- dentem » (*De institutione grammatica*, n. 116).

NB. — 1^o) Quod si res nimirum finem properet, tunc solent adhiberi haec particulae: « *magis ac ma- gis, quotidie, in dies, in dies singulos* »; v. g.: Alter ardet furore et scelere, nec remittit aliiquid, sed *in dies* ingravescit (Cic., *Ad Attic.*, X, 4, 2). — Obdure- scunt enim *magis quotidie boni viri ad vocem tributi* (Cic., *Ad Brut.*, I, ep. 18). — Quanto ille plura miscebat, tanto hic *magis in dies convalescebat* (Cic., *Mil.*, 9, 25).

2^o) Verbum *incipiendi* quandoque cum inchoativis iungitur; v. g. *Quum maturescere frumenta inciperent* (CAES., *De Bel. gal.*, 6, 29). — *Quum mella cooperunt maturescere, abigunt fucus* (PLIN., XI, 11).

b) Verbis « frequentativis » inest notio eamdem actionem saepissime aut saltem saepe iterandi v. g. *Quum alii malos scandant, alii per foros cursent* (= saepissime currant) (Cic., *Sen.*, 6). — *Quos nunc lectito (= saepe lego) auctores* (Cic., *Att.*, XII, 18).

1 a) Casus verbi specifici etiam saepe est pronomen vel adiectivum numerum denotans; v. g.: *Eadem quotidie peccamus* (= Eadem peccata quotidie pec- cando facimus). — De hoc ipso multa disserunt (= multa disserendo dixit) (Cic.). Hortatur milites pauca (= pauca militibus hortando dicit).

b) Ut videre est, verbum latinum non raro duas notiones continet, quarum una ad effectum, altera ad modum vel finem actionis pertinet; v. g.: *Pauca prius de L. Murenae fortuna conquerar* (= conquerendo exponam) (Cic., *Pro Mur.*, 27, 55). — Haec iocatus sum (= ad iocandum dixi) (Cic., IX, 14, 4). — Quum haec intonuissest (= intonando dixisset) (Tit. Liv., III, 16, 4).

c) Cum verbo latini libenter usurpant nomen

Iuravi (= *feci iurando*) verissimum *iuriurandum* (Cic., *Ep.*, V, 2, 7).

Societatem *coire* (= coeundo *efficere*) (Cic., *Phil.*, II, 10, 24).

Perorationem *concludere* (= conclu- dendo *facere*) (Cic., *Orat.*, 35, 122).

Partitionem *distribuere* (= distribuendo *facere*) (Cic., *Part. or.*, 32, 110).

Alterius vitae quoddam initium *ordi- mur* (= ordiendo *ponimus*) (Cic., *Ad Att.*, IV, 1, 8).

Natura ipsa *terminabit* (= terminando *ponet, faciet*) modum (Cic., *Tusc.*, III, 31, 74).

Evigilare (= vigilando *excogitare*) con- silium (Cic., *Ad Att.*, IX, 12, 1).

Bonam spem *praelucere* (= praelu- cendo *portendere*) (Cic., *De Am.*, 7, 23).

Quid ergo ex quaero quid *desensurus sis* (= defendendi causâ *dicturus sis*)? (Cic., V, 3, 37).

Excusare (= in excusationem *afferre*) inopiam et calamitatem suam aut tempo- rum (Caes., *De Bel. civ.*, 3, 20).

V. — Si quis non per se, sed per alium agit, Latini verbum « *iubeo* » reticent; v. g.:

Cimon pauperes mortuos suo sumptu extulit (= effterri *iussit*) (Corn. Nep.).

Abacos ornavit (= ornari *iussit*) ar- gento (Cic., *Tusc.*, V, 21, 61).

Pontem fecit (= fieri *iussit*) in Istro flumine (Corn. Nep., *Milt.*, 3).

Sibi opima, ceteris vilia *ponebat* (= poni iubebat).

Nisi tamen ad actionem iubendi atten- dunt; ¹ v. g.:

Cinna collegae sui, Cn. Octavii, praeci- di caput iussit (Cic., *Tusc.*, V, 19, 55).

substantivum huic verbo radice aut saltem sensu si- mile; v. g.: *Triumphavit insigni triumpho* (Tit. Liv., X, 46, 2). — *Alieno ornatu ornare* (Cic., *De or.*, I, 55, 235).

d) Si activa passivis permutaveris, accusativus verbi specifici sit nominativus, ut in exemplis sequen- tibus; v. g.: *Haec pugna pugnata est.* — De hac re *multa copiose a philosophis disputata sunt* (Cic.).

1 Tunc aliae praeterea suppetunt dicendi rationes; v. g.: Caesar vallum *ducendum curavit* (CAES.).

Palam artifices omnes caelatores ac vascularios convocari iubet (Cic., *De Sign.*, 24, 54).

Si te interfici iussero (Cic., *Cat.*, I, 5, 12).

VI. — Propter similitudinem constructionum, oratio indirecta a rogandi vel imperandi verbis pendens, adeoque cum « ut » vel « ne » inchoata, plerumque per accusativum cum infinito continuatur, verbo quod hunc regat tacite intellecto; v. g.:

Praecepit ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent; (addens) id si fecissent, *incepta prospera futura* (Corn., Nep. *Milt.*, i).

Imperavit ne iniussu suo concurrent; (dicens) *se*, quum id fieri vellet, vexillo signum daturum (Caes., *De Bel. civ.*, 3, 89).

Idem fit quum initium orationis indirectae pendet a verbo negativo; v. g.:

Plerique negant Caesarem in condizione mansurum, postulataque ab eo interposita esse (dicunt), quominus quod opus esset ad bellum a nobis pararetur (Cic., *Ad Att.*, VI, 1, 5).

Stoici negant esse bonum quidquam nisi honestum; virtutem autem (dicunt) nixam hoc honesto nullam requirere voluptatem atque ad beate vivendum se ipsa esse contentam (Cic., *Fin.*, I, 18, 61).

Imo, in universum, reticetur verbum affirmativum in altera propositione, quum prior propositio pendet a verbo negativo aut huiusmodi verbum continet;¹ v. g.:

Nolo existimes me adiutorem huic ve-

¹ Item, post « *nemo* » « *nihil* » subaudiri possunt *omnes*, *omnia*, *aliquis*, *aliquid*, etc.; v. g.: Ubi *ne-minem* in aequum locum sese demittere, sed (*omnes*) toto undique muro circumfundi viderunt (Caes., *De Bel. gal.*, VII, 28, 2). — Quorum *nihil* divino consilio, sed (quidquid factum est) vi ipsa et magnitudine rerum factum putamus (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 45, 131).

nisse, sed (velim) auditorem (Cic., *De Nat. deor.*, I, 7, 17).

Nostri graece fere *nesciunt*, nec Graeci (sciunt) latine (Cic., *Tusc.*, V, 40, 116).

S. Leonardi in *Helvetia*.

(*Ad proximum numerum*).

I. Jss.

MARCUS AB AVIANO

Tertius centesimus recurrit annus ab ortu — die 17^{ma} novembris — venerabilis illius viri, Marci ab Aviano, qui labente saeculo septimo decimo virtutibus mirisque rebus inclaruit, quemque Religiosi aequae ac politici scriptores memorant unum eius aevi hominem celeberrimum.

Gentis suae opibus posthabitatis, in Capulatorum claustra se abdiderat, ex quibus Deus illum extulit, misitque mirandum nuntium suum in compita, in regias Principum atque Imperatorum domus a consiliis, a legationibus, in ipsa cruenta militum castra ducem contra Christianae Religionis hostes.

Qui primum angelicis moribus effulsit, atque patrium solum Avianum nobilitavit. In Goritiense Societatis Iesu ephebeum adscitus, sexdecim annos natus — anno 1646 — aufugit Evangelium Turcis praedicatorus, atque martyrii palmam consequitur. In Turcas proficiscentem benigne excepere Iustinopolis urbis Capulati, qui profugo adolescenti suaserunt, ut, mutato consilio, ad suos reverteretur. Verum brevi Patrum Capulatorum consuetudine adeo sancte est affectus, ut undeviginti annos natus vitae illecebris abrenuntiare atque Seraphicum habitum induere decreverit in Conelianensi coenobio, die 21 mens. novembris 1648, Caroli Cristophori in Marcum ab Aviano nomine commutato.

Ardentissimum studium, quod trilu-

strem ituvenem ad Turcas impulerat adeudos, idem ad maximas in dies religiosas anquarendas virtutes tantum excitavit, ut ad exemplar suis colluceret Sodalibus. Sacerdos divino praedicando verbo addicitur, cui fungendo muneri se dedidit totum, lethale peccatum quam maxime insectatus, cuius dolorem et poenitentiam in audientibus mire ciebat, contritionis potissimum actu elicto. Apostolus totam fere peragravit Europam. Itali, Galli, Belgae, Germani, Austriaci illum audiere concionantem, devios ad virtutis semitam revocantem, novamque morum formam in multas regiones inducentem. Quacumque transiret, eum frequentissimi adibant homines, eius verba audituri, atque benedictionem sanctam consequuntur; coenobia, in quibus moraretur, invadabant, et apud Novariam ipsam supremam domus partem tenuere. De Apostolicis eius gestis apud Austriacos, deque uberrimis, qui inde fiebant, fructibus, haec ad Cardinalem Cybo, Pontificis Summi negotiis publicis praefectum, scribebat Salisburgensis Antistes: « Tum sanctissima vita, tum ferventissimis precibus, concionibus atque hortationibus mirabilia operatus est; maximis plagas nostras beneficiis affecit Pater Marcus; haereticos memoro ad germanam conversos fidem, peccatores ad paenitentiam atque meliorem redactos frugem; uber verae christiana pietatis semen quocumque diffudit. Gratias potissimum Eminentiae Tuae refero, quod pro meorum utilitate ovium tantum sanctumque Virum Dei in meam civitatem principem miseris ».

Apud Augustam Vindelicorum urbem, haereseos labore infectam, triduum diversatus, adeo Rei Catholicae profuit, tantumque sui admirationem excitavit, ut, aequalibus historicis testibus, ne ipsem quidem adveniens Imperator cum aula sua, tanto in se studia convertisset atque rapuisset. In Galliam advenienti omnes omnino ci-

ves occurrabant; Bergomi autem, Mediolani, Novariae et Augustae Taurinorum tanta eum multitudine hominum undique circumvenit, ut tectum conciones habiturus vir ascenderit. Triumphatori olim Romano suppari Lugduni centum hominum millia obviam venere, atque mirificum sui studium apud Bruxellas excitavit, adeo ut una die viginti Christifidelium millia divina se refecerint dape. Mirabile quidem — ut tradit Societatis Iesu Vir egregius, ocularis testis, — atque prodigio simile, tantam quivisse Patrem Marcum hominum turbam ad paenitentiae sacramentum adducere, tantamque morum proferre mutationem. Antuerpiae praeterea, Maclinae, Gandavi, iisdem e Societate Iesu sodalibus testibus, centum et quindecim hominum millia ad Dominicam mensam devote accesserunt.

Constans autem est aequalium illis temporibus scriptorum, ipsum concionantem apud Austriacos, deque uberrimis, qui inde fiebant, fructibus, haec ad Cardinalem Cybo, Pontificis Summi negotiis publicis praefectum, scribebat Salisburgensis Antistes: « Tum sanctissima vita, tum ferventissimis precibus, concionibus atque hortationibus mirabilia operatus est; maximis plagas nostras beneficiis affecit Pater Marcus; haereticos memoro ad germanam conversos fidem, peccatores ad paenitentiam atque meliorem redactos frugem; uber verae christiana pietatis semen quocumque diffudit. Gratias potissimum Eminentiae Tuae refero, quod pro meorum utilitate ovium tantum sanctumque Virum Dei in meam civitatem principem miseris ».

Quadragesimali tempore, anno 1687, quum amplum Vicentiae urbis templum accurrenti populo capiendo par non esset, in foro concionari est coactus. Patavii quoque sacras quadragesimae conciones — anno 1697 — in platea *Dominorum* longe

frequentissimis audientibus habuit, tecta ipsa condescendentibus hominibus ipsum audituris. Beatus Gregorius Barbarigus magna erga Marcum amicitia atque admiratione affectus, omnibus Venerabilis Patris concionibus adesse, solemnique die Paschatis, ipsem consueta homilia praetermissa, Marcum praedicare iussisse, ne, ut aiebat sanctus Vir, populus suus tanto privaretur spirituali bono.

Prodigiorum quoque auctoris sibi nomen comparavit noster, innumeris patratis, quacumque pertransiit, miraculis, peculiari quadam benedicendi usus formula, quae negotium aliquando facessit servo Dei, adprobante tamen postea Romana Curia. Certissimis Christi nitebatur verbis: «*Si credis, omnia possibilia sunt credenti.*» Benedico, fide fultus et potestate suffultus Iesu Christi». Namque aiebat: «Actuum meorum arcanum est firmissima in Christum fides dicentem: *Qui credent in me, daemonia eiicient, et maiora patrabunt miracula.*» Re quidem vera Ipsum daemons eiecisse, et omne genus patrasse portenta, atque in urbe Schio vel defunctum ad vitam revocasse, gravia testantur monumenta.

Monachii in Bavaria bis fuit ei pallium mutandum, a devoto populo frustratim concisum et ablatum. Profecto autem Marco, centum quinquaginta subalaria fulcra, octoginta bacula aliaque sanitatum obtentarum signa ad Sodalium domum sunt delata.

Sodalis quidam e Societate Iesu, vir doctus, sanitati restitutam sororem, loquela donatum elinguem discipulum suum testatur, benedicente Marco. Alter Carthusianus Sodalis, sua per Germaniam Moderator Congregationis, triginta aegrotos plures per dies suis oculis vidisse fatetur sanitate donatos: quos, ut ait, quam maxime obstupui videndo.

Sed horum maximum mirabilium fuere sancti Viri firmissima in Deum fides at-

que fiducia, humilitas, paupertas vitaeque austera; quae ei superna dona ita compararunt, ut italica lingua in concionibus utendo, vernaculo sociata idiomati, in primis audiretur a frequentibus populis diversorum sermonum ac gentium, a Gallis, a Germanis, a Batavis, ab Austriacis, ab Hungarisi!

Novum profecto quoddam praeseferre nobis videtur per vicesimum saeculum viventibus Monachus in Regum aulis, in Principum consiliis, in bellis. Atqui Marcus noster vir fuit publicae atque bellicae rei gerendae peridoneus. Hoc opprime liquet opus legentibus Epistolare inter ipsum et Leopoldum Imperatorem, cui fuit ab intimis consiliis. Graves, diurnae atque involuta de republica quaestiones, quae Principes partiebantur Imperii, contentiones Imperatorem inter et administros aequae, concorditer, et pacifice a Marco solvebantur. Summa eius auctoritas, et consilia effere, ut Concilium Augustanum Imperatoris filium Regem crearet Romanorum.

Non solum autem in Vindobonensi aula, verum etiam in aliorum Principum exquirebatur, amabatur, audiebatur, magnique habebatur. Cunctantem Imperatorem atque eius Administros contra Turcas periculose se gerere viriliter asseruit non solum adversus Imperium, sed etiam contra Europam universam. Sed qui erat modus in concordiam reducendi Regem ac Principes, Administros et Duces, in quos privata utilitas atque ambitio dominaretur? Eorum discordiae, intestinae luctae, diversa de gerendo bello iudicia, summi imperii aemulationes, irruentibus Turcis favebant, qui Vindobonam in dies circumcingebant, cuius excidium invadendae Europae viam victoribus parabat. Hisce in momentis toti Rei Christianae pertimescendis Venerandus Vir honorum extinguit cupiditates, dubia depellit, animosque ducum, militum, Principum alacres, promptos victoriaque

inhiantes praestat sub imperio strenui Pionorum Regis Ioannis Sobiescki.

Die 12 mens. septembris 1683, Sacro peracto dispertitoque Corpore Domini Ducibus exercitus, omnibus benedit, eosque in nomine Domini excitat ad signa inferenda; deinde equum condescens, cunctas acies percurrit, impavidus circumvolat quo cruentius est proelium, dexteraque Crucifixum gerens benedit, adhortatur et clamat: «*Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae!*» Sobieski milites vix ad octoginta millia fugant ducenta quadraginta millia hostium cum duce Machometano; hinc Turcica acies victa profligataque, Vindobona sarta, Res Christiana tecta. Exercitu triumphantium more Vindobonam ingrediente, frustra exquiritur Marcus adclamandus... in cellulam abditus, gratias Deo agebat!

Ipsum prosequi haud possumus in bello Hungarico, quo rem gerit inter Principes et Duces, quibus sapientissima suppeditat imperatoria paecepta ab bellum citius ac felicius conficiendum, atque Turcas ex Europa omnino pellendos. Hoc eius propositum; ad quod consequendum omnem movit lapidem penes Pontificem, Imperatorem, Administros et Duces exercitus.

Tot tantisque implicito rei civilis ac militaris negotiis Marco, nihil unquam superfuisse videtur temporis in aliud incumbendi multoque minus officiis fungendi Religiosae vitae. At mirandus eius apostolatus, prodigia ingentia et diurna, quibus Deus illum illustrabat, satis perhibent quem virtutis et sanctimoniae gradum concenderit noster, ocularibus atque aequalibus testibus historicis.

Inter silentia abditum coenobii una Praesulum ac Pontificis evocabat obedientia, et in Principum aulas et hostium castra coniiciebat. Hoc ipsi divinitus commissum munus!

Vindobonae, in quam urbem latissime manavere eius labores pro veritate vindicari acceptos fasciculos remittant.

canda, proque iustitia et Religione tuenda, ad caelestia praemia vocatur die decima tertia mens. augusti anni 1699.

Multis autem post Marci obitum sanitatem, eius meritis et invocatione, consequentibus, illi ut Beatorum honores decermentur, factum est initium; quae vero res ob turbida tempora et gravia bella, quae postea Europam passim labefactarunt, extitum non habuit. Viri itaque atque operum oblitio, quam tantopere exoptaverat vivens Marcus, obruit per duo ferme saecula de mortuum, usque ad postrema haec tempora, quum iterum celebrari atque colustrari coepit. Elucubrationes prodiere complures, potissimum apud Europae gentes, Germanas in primis, quibus Marcum eiusque gesta revocare placuit; nova atque singularis conscripta per Mariam Hayret historia est, quae prodiit typis Pustet Monachii in Bavaria.

Sedi quoque Apostolicae unanimis oblatae fuerunt Cardinalium, Principum, Episcoporum, Sodalitatum ac populi postulationes pro patre Marco beando: quibus benigne a Pio X exceptis, anno 1912 editum est decretum de causa initianda.

Utinam quantocius adveniat dies, quo ipsum nobis liceat Beatum invocare! Erit profecto maximo gaudio Francisci Sobili, quae Marcum inter potiora recenset ornamenta, erit universae Dei Ecclesiae, cuius ille se praestitit ac gessit fidissimum famulum fervidumque paeconem.

FERDINANDUS AB AVILIANA,
O. M. C.

SOCII MONITUM

Socios rogamus, qui nondum subnotationis sue pretium solverint, velint cum Administratore nostro rationes exaequare. Quod si consociationem respovere malint, commentarii acceptos fasciculos remittant.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES
A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE
LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE « DETERMINISMO ».

In annua instaurazione conventuum Societatis mathematicae in Anglia cl. vir Arcturus Eddington perbelle locutus est de occasu «determinismi» in physicis.

In ipsam determinismi definitionem inquirens, refellendam ostendit sententiam cuiusdam poetae, iuxta quem *the first Morning of Creation wrote what the last Dawn of reckoning shall read*. Libenter subscribimus iudicio illustris Physici anglici in hoc.

Sed simul proponendam putamus virorem formam principii de quo agitur, nempe: eadem corpora, in iisdem conditionibus posita, semper eodem modo agunt

Principium hoc reducitur ad «principium causalitatis»; nam si corpora illa semper eodem modo agunt, eumdem effectum producunt, et effectus ille aequatur suae causae.

Ratio ponendi hoc principium duplex est: altera quod, quidquid aliquo modo est, vel habet in se causam sufficientem exstanti, vel a causis congruentibus habet; altera quod per inductionem corpora de facto eodem modo agere experimur.

Ex qua quidem ratione iustificatur omnis «scientia experimentalis», cuius est inquirere in leges naturae, quas incassum esset querere si non sunt.

Inductio, de qua diximus, est ratio phoenomenis sensibilibus circumscripta. Pro aliis inductione indigemus.

Quaestio nunc est utrum amplificandum sit principium usque ad phoenomena ultraatomica. Et dicimus: nihil prohibet

quominus amplificetur; ergo de facto principium illud transduci potest etiam ad phoenomena illa.

Alii e contra dicunt non esse proferrendum. Horum rationes prohibentes ad hoc reducuntur, quod ea quae deducuntur ex aequationibus circa condiciones alicuius corpusculi non assignant determinatos valores, sed tantum valores intra quosdam limites, et probabilitatem relativam.

Sed quid mirum! Si nescimus propriè designare conditions corpusculi in quocumque puncto temporis, multo minus possumus ex illis deducere valores, qui referuntur ad punctum posterius.

E contra dicimus: si corpusculum adest in determinatis circumstantiis, eius modus agendi unicus est. Si non agit eo modo a circumstantiis determinato, tunc dicendum est illud libere eligere modum agendi; et si libere elit, non est corpusculum, sed spiritulus vel daemon. Quod si daemon non est, sed corpusculum, actio illius determinatur a condicionibus in quibus est, et valet principium nostrum.

Nec obstat quod leges physicae assignari possunt etiam per rationarium probabilitatis. Esto; sed ad hanc formam recurrimus propter limitationem cognitionis nostra.

Si sequi possemus status et modificationes uniuscuiusque moleculae, leges propagationis pro calore aliter proponendae essent, et similiter pro corpusculis; sed principium maneret et leges ipsae physicae cliores et certiores evaderent.

I. GIANFRANCESCHI.

NOTIAE.

DE REMOTISSIMA NEBULA SPIRALI.

Ex *Science Service* diario, die 14 sup. mens. Ianuarii dato, scimus a doctore Edwin Hubble detectam fuisse nebulam in Geminis, et a domino Milton Humason

velocitatem radialem eius aestimatam ad 12 milia millium per punctum temporis, quae maxima est inter velocitates huc usque cognitas.

Huic velocitati, admissa communi hypothesi, distantia respondet 135 milionum lucis annorum, quae est fere ad limitem potentiae reflectoris centum unciarum.

DE NOVO EFFECTU SCINTILLAE ELECTRICAE IN VITRO.

Doctores Torahiko Terada, Moriso Hirata, Rynzo Jamamoto ex Instituto Physico-Chimico in urbe Tokio invenerunt mechanicos effectus scintillae electricae super vitrum.

Si scintillae permittitur super vitrum transire, apparent statim rimae in vitro, transversae cursui scintillae, quae pedentim longiores fiunt, et multiplicantur in reticulatum plus minusve complexum.

Tenuae etiam lamellae aliquando exsurgunt, et Newton annuli efformantur.

In quibusdam crystallis reticulatum omnino regulare evadit, et iuxta crystalli ipsius symmetriam constitutionem.

Rimarum amplitudo crescit crescente circuitus capacitate.

Non immerito auctores cogitant ex rimarum observatione aliquid deduci posse circa tensionem electricam et potentialis distributionem, quod certe valde interesset.

**DE INQUISITIONE
IN QUARTII LAMINA VIBRANTE.**

E. P. Tawill contendit visibles reddere vibrationes crystalli quartii in frequentiis ultraphoniciis, fructum capiens ex variationibus refractionis.

Reflexum lumen inspicioendo crystallum obscurum appareat quo adusque quiescit, nam luci permittitur transire; e contra

dum vibrat, partes eius lucem absorbent et lucentes apparent.

Hinc videre sunt in crystallo vibrante zone ventrales et zone nodales.

Multipliciter uti possumus hac proprietate, et recenter Dr. Strong ex Universitate Victoria in Nova Zelandia per observations stroboscopicas inspicere potuit variationes densitatis in crystallo.

Duplicem quartii laminam inducit, quarum frequentiae parum inter se differunt, et duplum lucis radium eas transeuntem colligit, opportunibus interruptionibus, quorum numerus aequat differentiam illam frequentiae.

Haec methodus plurimis inquisitionibus inservire potest, ut apparet.

DE PERTURBATIONIBUS IN STRATU HEAVISIDE.

Difficultates, quas recenter experti sumus in communicationibus radiotelegraphicis per undas breves, variis hypothesis explicare nonnulli conati sunt.

Non spernenda videtur quae a Dr. Han-taro Nagaoka proponitur; quod nempe per frequentes meteoras stratus Heaviside frangatur et huiusmodi lacerationes per centena chilometrorum extendantur et per plures horas maneant; hinc absentia opportuna reflectionis, quae receptionem permittat.

**DE COMMUNICATIONIBUS RADIOTELEPHONICIS
PER UNDAS BREVIORIAS IN ITALIA.**

Italicum Ministerium Communicacionum complevit nuper systema Radii apud Coltanum existens, addendo quae valent ad communicationem telephonica cum navibus in toto orbe navigantibus.

Eadem antemnae omnidirectionales, quae hucusque ad signa telegraphica transmittenda inserviebant, nunc etiam ad modulationem vocalem adhibentur, et statio-

receprix apud Nodicam existens, etiam ad vocem auscultandam amplificatur.

OppORTUNA connexio stationis facta est cum rete nationali telephonica, ut facilitas communicationis omnibus praebeatur.

DURANTE die communicationes fiunt per undas metrorum sexdecim cum nonaginta; noctu per undas metrorum triginqua quinque cum octoginta.

Sed et aliud complexum adiungitur per undas metrorum viginti trium cum quadraginta, et quadraginta quinque cum decem, quo securior fiat opportunitas locutionis. Brevi tempore systhema duplice sensu communicationem permittet.

NOTITIUNCULAE GEOLOGICAE.

In Russica regione Ciancianghi sulphuris deposita detecta sunt, quae existimantur ad quinque millia milionum tonnarum: et proinde amplissima inter omnes.

Apud Baskaja (*Urali*) inventus est carbonis stratus, cuius capacitas ad ducentos miliones tonnarum mensurari potest. Substantiae volatiles, quas continent, pertingunt ad quadraginta et octo ex partibus centum, cineres ad quindecim, humiditas ad novem ex centum.

Prope Turcicam urbem Bruxam in regione Montis Olympi detecta sunt deposita cromi et carbonis.

In regione Karabut (*Usbekistam*) kalium detectum est in stratis bene capacibus.

Societati *Palestina Potash Ltd.* bene successit de extrahendo Kalio per evaporationem aquae Maris Mortui.

Per rationes a Doctore Fedasseim adhibitas, Institutum Chemicum Leningradi aluminium e nefelina Chibin obtinuit.

Ex experimentis in Universitate Texiana ductis super bases azotatas in petroleo contentas, extracta est nova materia flava et colorans.

IN SACRAM SPINAM¹

HYMNUS.

*Ave, Corona spinea,
Ornata Christi sanguine,
Quae iam tuis aculeis
Regale fixisti caput:*

*Tu, terra felix, Andria,
Spinam cruentam possides,
Quae civibus miracula
Aevum per omne praebuit.*

*Vigesimo Tu Martii
Quinto die, quo mortuus
Christus pependit in Cruce,
Trahis ruborem, Spinula.*

*Quandoque, Sacra Spinula,
Dum Tu madescis sanguine,
Argenteos fers fiosculos,
Claro micantes lumine.*

*Digni supernâ gratiâ,
Aetate nostra, vidimus
Sacram cruore Spinulam
Miris modis rubescere.*

*O Sancta Spina, cordibus
Inflige nostris vulnera,
Tu vim doloris excita,
Castos amores elice:*

*Florere perge, Spinula,
In saecla divo sanguine,
Quo iam piavit crimina
Christus Redemptor optimus.*

*Iesu, Tibi sit gloria,
Qui nos cruore sospitas,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.*

Radicenae in Calabris, mense Martio a. 1932.

FRANCISCUS SOFIA ALESSIO.

¹ *Sacra Spina, quae in Cathedrali templo Andriensi adservatur, vivo sanguine rubescere et quandoque florere solet, quem, vigesimo quinto die mensis Martii, fideles Christi mortem commemorant.*

COLLOQUIA LATINA

VII.

Gymnasium, Bibliotheca,
Disputatio.¹

STUDIORUM PRAEFECTUS, HOSPES.

HOSPES. — Quam elegans gymnasium et magnificum! Haud esse academia hac reor ullum praestantius.

PRAEFECTUS. — Rectissime iudicas: addetiam, quod magis ad rem facit, nec alibi esse eruditiores magistros aut prudentiores, qui maiore dexteritate tradant doctrinam.

HOSP. — Oportet igitur magna hic fieri disciplinarum opera pretia.

PRAEF. — Et quidem magnis compensiis discendi.

HOSP. — Quid docent isti et quamdiu?

PRAEF. — Habent sua singuli auditoria separata, et sunt doctores varii. Alii prima elementa artis grammaticae laboriose pueris toto die ingeminant; alii penitiora tradunt artis; alii rhetorici, dialectici et reliquas disciplinas enarrant, quae liberales seu ingenuae dicuntur.

HOSP. — Cur eo nomine?

PRAEF. — Quia illis decet unumquemque ingenuum imbuiri. Contra, quae sunt illiberales, circumforaneae, sordidae, quae vel labore corporum vel manibus exercentur, servis potius congruunt, et hominibus, qui ingenio parum valent. In ipsis sunt alii tyrones, alii batalarii.

HOSP. — Quid istuc verbi est?

PRAEF. — Et tyrones et batalarii ex militia sunt nomina desumpta. *Tyro* vetus est verbum de eo, qui in militia exerceri incipit; *Batalarius* Gallico nomine dicitur is miles, qui iam semel proelio, quod illi

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES, Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

battallam (*bataille*) vocant, interfuit collatis signis, et manum conseruit cum hoste; ita in palaestra literaria batalarius coepit nuncupari Parisiis, qui publice de arte quadam disputasset. Hinc designantur doctores, quos a Licentia *lizenziatos* appellant (melius *designati* dicerentur); postremo *docturam* adipiscuntur, imposito in celebritate Academiae pileo, ut quasi donentur libertate et fiant emeriti. Is est hic supremus honor, et summus dignitatis gradus.

HOSP. — Quis est ille in tanto comitatu?

PRAEF. — Ille est Rector academiae: multi eum sectantur officii gratia.

HOSP. — Quoties in die edocentur pueri?

PRAEF. — Aliquot horis: duabus matutinis et duabus pomeridianis.

HOSP. — Tamdiu?

PRAEF. — Ita fert mos et vetus academiae institutum: quin et discipuli duabus horis, quae a magistris acceperunt, retrahunt et recolunt et quasi mansum cibum ruminant.

HOSP. — Tantis clamoribus?

PRAEF. — Nunc se exercent.

HOSP. — Ad quidnam?

PRAEF. — Ad discendum.

HOSP. — Immo vero ad clamandum:videtur enim non disciplinam meditari, sed praeconium. Et ille alter plane furt; nam si haberet sanum cerebrum, nec ita vociferaretur, nec gesticularetur, nec se torqueret.

PRAEF. — Hispani sunt et Galli paulo ferventiores, et ut sunt diversarum sententiarum, tanto ardentius concertant, quasi pro aris et focis, ut dicitur.

HOSP. — Quos auctores interpretantur?

PRAEF. — Non eosdem omnes, sed ut quisque est peritia et ingenio praeditus. Eruditissimi et acerrimo ingenio scriptores sibi sumunt optimos quosque, et eos qui *classici* appellantur. Sunt qui ad proletarios descendant atque etiam ad capite censos. — Ingrediamur, et ostendam tibi publicam gymnasii huius bibliothecam. —

Haec est bibliotheca, quae, ex magnorum virorum paecepto, ad ortum aestivum spectat.

Hosp. - Papae! quantum librorum; quantum bonorum Auctorum! Graii, Latini, Oratores, Poëtae, Historici, Philosophi, Theologi... Sunt et imagines auctorum!...

PRAEF. - Et quidem, quantum effici potuit, ad vivum expressae atque eo pretiosiores. - Foruli omnes et plutei querui aut cupressini sunt. Libri plerique omnes membranacei; sunt et variis coloribus miniati.

Hosp. - Quis est primus ille rusticano ore, naso repando?

PRAEF. - Lege titulos.

Hosp. - Socrates est, et dicit: «Cur in bibliotheca collocor, qui nihil scripsi?»

PRAEF. - Respondent sequentes Plato et Xenophon: «Quia quod alii scriberent dixisti». Sed longum est persequi singulos.

Hosp. - Hem, qui sunt libri illi abiecti in grandi illa strue?

PRAEF. - Sermonaria dialecticae et sophisticae: hi sunt quos capite censos non minabam.

Hosp. - Immo capite deminutos!...

PRAEF. - Descendamus. Hora est bataliaris, qua palaestram ingrediantur altercatoriam.

Hosp. - Quaeso, introduc me illuc.

PRAEF. - Accede, atque attentus ac reverenter specta singula; nam magnis de rebus disseritur, et quas plurimum conductat cognoscere. Ille, quem sedentem adspicis sublimem solum, et praeses est certaminis et contentionum decretor, quaque agnoscere. Primum eius munus est loca concertantibus designare, ne ulla sit confusio, aut perturbatio praetereire voluntum.

Hosp. - Quis est macilentus ille et palidus, quem reliqui impetunt?

PRAEF. - Is est propugnator, qui impiatum omnium sustinet, et ex immodeci vi giliis maciem ac palorem contraxit. Magnos is habet in re philosophica progres-

sus. Ah! tace iam et ausulta; nam qui nunc oppugnat, acutissime ac subtilissime solet excogitare argumenta et acerrime urget propugnatorem, omniumque sententia cum summis in hac disciplina comparatur, et saepe adigit concertatorem ad recantandum. Perpende quomodo ille conatus est eludere, quomodo alter confutavit valide ratione inconfutabili, et quam ille diluere non poterit: iam et iaculum hoc est inevitabile; argumentum est plane Achilles invincibilis; iugulum petit... Non poterit propugnator se tueri; statim dabit manus, nisi subterfugium aliquod mittant ei Superi in mentem. Hem profligata est quaestio sollertia decretoris... Iam solvo tuam linguam; loquere quantum voles; nam iste, qui nunc impugnat, vappa est, pugione pugnat plumbeo, et altius tamen clamat, quam ceteri. Observa: videbis eum a pugna raucum discedere... Hoc est ei perpetuum, et quantumcumque repulsa sint eius tela, urget nihilosecius, pertinaciter quidem, sed inefficaciter, nec unquam vult habere argumentum suum pro deroicto, nec acquiescere vel defendantis responsioni, vel decreto praesidis. Is, qui nunc certamen ingreditur, delicatule petit veniam a decretore, comiter praefatur, argumentatur invalide, discedit semper fessus, etiam anhelans, tamquam arduo munere fortiter perfunctus. Discedamus.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive paecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.¹

§ 455. - GALENUS meminit parotidum, quae exitiales minime erant, quod febrim comitem non haberent, et tumoris oedematosi naturam redolerent, et propter spi-

¹ Cfr. fasc. sup.

rituosam substantiam facile evanescerent. Quae autem fiunt propter copiam succorum multorum, crassorum et crudorum, propter vehementiam acrimoniamque, et febrilis caliditatis abundantiam, sursum ad caput delatorum, quos natura in aurium glandulas deponit, propter allatas caussas periculosae existunt.

§ 456. - Hippocrates ad frigidos et in crescentes morbos μιξην laudat.

§ 457. - In sectione cadaveris, referente BALLONIO, inventum est intestinum ieiunum coarctatum et cartilaginosum; alvo difficiili et non nisi enemate aut purgante sollicitanda per multos annos laboravit.

§ 458. - Solebat FERNELIUS, post usum medicamentorum purgantium, praesertim rhabarbari, et eorum quae residuum aliquam siccitatem faciunt, dare magna satis copia syrum violarum aqua dissolutum.

§ 459. - In quibus mesenterium obstructum est, iuvat taleolas rhabarbari macerare in lib. una aquae, additis cinnamomo et papulis; de ea aqua 3, 6 aut 8 praebentur. Ad purgationem puerorum idem fere convenit; nam in magna aquae copia maceratur aut senna aut rheum.

§ 460. - In iis defluxionibus, quae repente et affatim in faciem incident, praesertim si fauces appetant, vide ut quam primum emissarium in os ipsum moliaris, alias repente suffocationis metus ingruit.

(Sequitur).

I. FAM.

ANNALES

Compositumne inter Sinenses Iaponiosque discrimen?

Mense martio ineunte, Genevae, in Societas Nationum consilio, exterarum rerum apud Anglos minister nunciabat, Sciangai in littore, in praetoria Anglorum

nave, inter Sinensem Iaponiorumque legatos, sermones initos esse de bellantium copiis hinc inde retrahendis, deque compendo inter duos populos tandem aliquando discrimine, quod iam diu universorum animos commovet. Nationum Societas rei valde obsequuta est, ratumque statim habuit propositum iam consilium, ut conventus participes fierent et aliarum gentium legati, quae in Sciangai regione suas quoque rationes aliquas haberent. Assentientibus Iaponiis pariter ac Sinensibus, longe lateque per mensem integrum in Asiatico illo conventu disceptatum est; quod si certae omnino pactiones nondum statutae sunt, recessum tamen in regione illa ab armis est. A regione illa dicimus, nam latronum turbae infestam Mandchouriam provinciam ita habuere, ut vim vi repellere Iaponiis oportuerit; hinc difficultates novae, quae ceteris accessere ad rerum compositionem remorandam. Faxint Superi ut ab omnibus exoptatissima tranquillitas quam citissime restituatur!

**

Unio vectigalis Danubiana.

Ad oeconomicum discrimen solvendum, aut saltem levandum, quo Austria, Hungaria, aliaeque circum gentes, ad Graeciam usque, vexantur, Tardieu, Gallici gubernii praeses, auctor fuit Unionis, quam vocavit, vectigalis Danubianae, oeconomicis pactionibus innixa, per quas vectigalia «praeferentialia», prout vulgo dicuntur, Danubianae illae civitates commerciis suis singulæ invicem et cum aliis populis inducerent. Res plurium iam Europæ nationum, ipsiusque Germaniae, favorem obtinuit; fuitque etiam quae et pecuniam mutuam degentibus dare proposuerit ad commercia corroboranda... Italia interim ex sua parte iam proprias conventiones cum Austria et Hungaria sanxit, ad rerum exportationem et commutationem expediendam.

* *

Germanica comitia.

In Germania, comitia habita sunt ad rei publicae novum praesidem eligendum. Hindenburg, e munere cessanti, Hitler, «nationalistarum» cuiusdam factionis princeps, acriter opponitur; qui si impedit valuit quominus ex suffragiorum numero vix prima vice aemulus evaderet, proculdubio in alteris comitiis, quae ad septimum aprilis mensis diem indicta sunt, longe inferior manebit.

POPULICOLA.

ROMA SACRA**Ex S. S. Congregatione S. Officii.**

Per decretum diei 17 mens. Febr. huius anni 1932 damnatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est liber « quam maxime obscene » LEONIS DAUDET, cui titulus: « Les Bacchantes - Roman contemporain. - Ernest Flammairon, Editeur ».

Per decretum diei 6 mens. Aprilis idem provisum est circa librum FELICIS SARTIAUX, qui inscribitur Joseph Turmel, prêtre, historien des dogmes. - Paris, Les Editions Rieder.

VARIA**Augustus Imperator et bellum.**

Augustus Imperator, tot victoriis terra marique relatis clarus, adeo demum bella exsecratus est, ut nisi iustis de causis nullum genti cuiquam bellum intulerit, iactantis ingenii et levis affirmans triumphandi cupiditate, et ob lauream coronam, id est folia infructuosa, in discrimen per incertos proeliorum eventus securitatem

civium adducere, neque bono imperatori quidquam minus quam temeritatem congruere, neque arma nisi maioris emolumenti causa movenda esse, ne compendio tenui et iactura gravi parta Victoria, similis sit hamo aureo piscantibus, cuius abrupti ac demissi detrimentum nullo capturae lucro pensari potest.

Vulpes et Corvus

Excelsa in arbore insidens, caseum, quem a proximae villae fenestra rapuerat, pari aviditate ac voluptate Corvus comedebat. Invida eum forte aspexit Vulpes, et lingua sibi rostrum lingens, iam oculis caseum devorabat. Multa animo agitat, nec tamen videt, qui optato cibo potiatur. Tandem ad solitas se technas vertit. Deicit humi tergum, collum erigit, aures arrigit, oculos in Corvum defigit. Hic rem miratus: — « Quid contueris — inquit — versipellis? » — « Da mihi veniam — illa blande respondet — te ipsum intueor, avium speciosissime. Tantus enim est peniarum tuarum nitor, ut me in tua admirationem rapiat. Vera fateor, crede mihi. Multas oculis meis iam vidi formosissimas aves, sed formosiorem, quam tu es, nullam: omnes sunt pulchritudine infra te. Quid enim illo tuo ore venustius, quid capite tuo augustius aut oculis videri, aut animo excogitari potest? Si quantum aves ceteras corporis specie ac dignitate praecellis, tantum et easdem vocis laude praeires, id certo continget, quod quidem tibi vehementer exopto, ut non feras modo, sed et homines in tua admirationem converteres ». Corvus, qui prae gaudio iam mentis suae compos non erat, et ex illa laudum suarum commemoratione plus voluptatis capiebat, quam ex esu casei, ingentes Vulpi grates rependit, quod de ipso tam bene sentiret, dumque vocis specimen cantu dare aggreditur, imprudenti caseus excidit. Hic laeta Vulpes, quod sibi res

bene et ex sententia cessisset, festina surrexit, caseum dentibus arripuit, et abiit. Interea Corvus clausis oculis crocitabat, nec quidquam senserat. Tandem quievit Vulpem plaudentem auditurus. Haec vero abierat. Aperit oculos, circumspicit, nullam vidit: meminit tum casei. Quid plura? Rem totam comperit ac primo quidem stupere, dolore labescere, dein stomachari, furere, Vulpem diris devorare. Tandem ad se redit et exclamat: — « O me turpiter illusus! Imo, o me coecum, o me bardum! Nemo enim qui sapiat, subdolis assentatorum verbis aures praebet ».

G.

* *

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Panis crustula in lycopersici cremo dispersa.

Doliola ex solanis tuberosis recenti caseo farta.

Caponissa cum leguminibus in cibano cocta et ministrata.

Insiciae vitulinæ ad craticulam actae.
Acetaria.

Citri arantii concretum.

* *

locosa.

— Filius meus quinquaginta libellas a me requirit ut tabulas logaritmicas sibi emat. Num igitur ephebeum omnem suppellectilem alumnis suis non suppeditat?

* *

TUCCUM severe Pater obiurgat, quia obreptum dum saccharum furiat.

TUCCUS: — Atqui tu me es hortatus ut id facerem!

PATER: — O impudens, ego?...

TUCCUS: — Nonne mihi semper monuisti, ut a pravis cibis abstinerem; sed

iis intenderem, qui nutriant atque saluti conferant?

PATER: — Ad quid hoc?

TUCCUS: — Magister in schola substantias nutrientes enuncians, saccharum in primis indicavit...

Aenigmata.

I.

Arcanum volitat; caudam si demeris, altus Tunc iam viventum pectora somnus habet.

II.

Sto pede subnixus, contemplor inania tractus;
Depressa dulces haario fame dapes.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Latro*; 2) *Humus*.

Libri dono accepti.

In Aquileiam. Carmen ACASTIS BRESCIANI in certamine poëtico Aquileiensi unicum magna laude ornatum.

Jonæ vatis somnium. Carmen dris. ALOISI CASIETTO in certamine poëtico Hoeufftiano laude ornatum. — Editio altera cum Italica versione d.ris Ioannis Casiello, filii Aloisii (Sassari, 1932 - X).

ENRICO TITARELLI. Nuova grammatica della lingua latina per le scuole medie. Seconda edizione riveduta. Augustae Taurinorum editit Soc. Editrix Internationalis (Ven. lib. 16).

ID. Nozioni di analisi logica italiana e latina per le scuole medie. 2a edizione — Indidem. (Ven. lib. 5).

ID. Prosodia e metrica latina con brevi esercizi ad uso del ginnasio. 3a Edizione. — Indidem. (Ven. lib. 2,25).

ID. Esercizi latini. Volume primo per la prima classe delle medie inferiori. — Indidem. (Ven. lib. 6).

DE ROBERTI SCOTTI

[6]

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Illud certo Shackletonia audacia perspectum est: polum antarcticum locum esse vastissimae, in quam perventum eset, solitudinis, obsitae congelatis nivibus, non tamen magis denotatam, quam polum arcticum, natantis glaciei locum, qui tribus mensibus post, VII Id. Apr., a Peary inventus est. Post tam secundos rerum successus haud erat dubium, quin ipse polus antarcticus ab eo, qui proximum fecisset imponet, superaretur.

Eam autem rem sibi persequendam, eam gloriam vexillo Britannico, totius nationis studio favente, comparandam statuit Robertus Scottus. Neque vero tantum appetitu gloriae ducebatur, qui, sicut in priore itinere, sic in parando plurimum esse censembat tribuendum locorum terrae, quibus illatus esset, explorationi.

Richthofen, in eo quem diximus libro, (anno 1905), exposuit tribus potissimum rebus mortales in laboriosam duci antarcticidem: quod natura ferrentur in ardua, quod desiderarent pernoscere formam terrae, quod appeterent scientiam eorum, quae in hac terrae crusta fierent.

Et primum, qui aliis propius ad terrae polos accedebant, non raro suspensi naso sunt: Cui id usui esse; accessisse ad illas latitudines geographicas, circuisse nivium campos quid afferre commodi scientiae? Sed talia iactantur iniuria. Nam in maximis naturae humanae bonis est, quod summa illa virium intellectus, voluntatis, corporis intentione oblectatur. Quod nifiat, in hoc tanto cultu, tantis vitae commodis et inventis artium homines elonguescant et ad labores obeundos enerватiaeant. Nunc, quod ita fere fieri solet, ut, quo quid sit ad consequendum difficilis,

eo maiora stimulet studia, multitudine ipsa mirum quantum semper favit illis, qui in polarum fines, inaccessis naturae terroribus vallatos, penetrabant. Ei vero, qui audiendo ceteros superasset, parta erat immortalitas; hoc iustior, quod cum iisdem contentionibus laudis et gloriae intime coniuncta erat accessio scientiae. Nam quis ignorat multarum rerum scientiam, si minus inventam, at certe auctam esse audacium virorum periculis?

Deinde arcticas expeditionibus magis cognita est forma terrae. Cuius crustam, quum sola sit domicilium datum homini, totam cupit inquirere. Atqui sub isto polo extendebantur ingentia spatia nullius adhuc hominis oculis inspecta. Et iam verisimile erat factum illam mundi partem dimidio Europa maiorem porrigi; sed per exigua littorum pars cognita erat. Nam admodum pauci ex navibus in illam continentem egressi erant, qui in aliquot centena chilometra progressi, quantum ea loca ex mari extarent, mensi erant, montium tractus mirati sed non experti discesserant. Tota igitur adhuc delineanda pingendaque restabat antarctica tabula, et magna proposita erat gloria; si qui alba illa loca circumpolaria¹ globorum geographicorum coloraturi eset.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.

¹ Non, inscite videor novasse, «circumpolaria» loca. Cfr. «circumforaneos» Ciceronis, «circumpadanos» Livii, «circumpavitam» Plinii, etc.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

